

substantiae saltem animae et corporis nostri facile, certo et in omni actu cognoscendi et appetendi apprehenditur.

4. *Ex absurdis*: Nisi substantias saltem aliquas immediate perciperemus, non possemus habere ullum conceptum substantiae. *Atqui* habemus conceptum substantiae. *Ergo* immediate eam percipimus.

Minor patet; probo maiorem: Nisi conceptus substantiae esset immediate ex perceptione sensuum formatus, deberet esse conceptus factitius, deductivus. *Atqui* conceptus factitii, deductivi supponunt conceptus primitivos, immediatos, ex quibus deducuntur, neque quidquam realitatis exprimere possunt, nisi quod in illis latebat. *Ergo* debet iam praecedere perceptio alicuius substantiae particularis, ut conceptus substantiae in genere inde formari possit. —

Neque obicere licet, eum formari *primo* et directe ex perceptione accidentium; nam ex accidentibus tanquam elementis primitivis nunquam conceptus substantiae fieri potest, qui essentialiter ab eis differt. Neque valet effugium, ex accidentibus posse vi principii causalitatis ratio substantiae formari; nam 1^o mens non potest conceptum accidentis formare nisi simul apprehendat rationem substantiae, sicut medicinam nemo cogitare potest nisi respiciat ad sanitatem corporis; 2^o Notio causae et a fortiori principium causalitatis formari nequit sine notione substantiae. Nam causa concrete et physice non est nisi substantia, quae est principium ultimum omnium actionum ac proinde omnis causalitatis. Quum igitur causalitas immediate percipiatur ac proinde notio causae sit primitiva, conceptus quoque substantiae est primitivus et immediate ex perceptione tum interna tum externa formatus.

Coroll. Neque dicendum videtur cum nonnullis, nos formare *primo et proprie* conceptum substantiae ex perceptione nostra *interna propria substantialitatis* eumque deinde per quandam analogiam applicare ad alias res externas.¹⁾ Nam tunc cognitio substantialitatis animae nostrae — agitur enim de cognitione intellectuali, non sensitiva — a) deberet praecedere cognitionem aliarum substantiarum; b) deberet esse clarior, perfectior, certior, quam cognitio ceterarum substantiarum; c) deberet esse cognitio propria, aliarum autem substantiarum esset analogica, i. e. per relationem ad nostram substantialitatem, sicut cognitio creaturarum praecedit cognitionem Dei, eaque est clarior, certior, magis propria; cognitio Dei autem est analogica. *Atqui* constat homines prius, certius et perfectius cognoscere substantias corporeas quam propriam animam; immo animam dominant voce desumpta ex rebus corporeis, ac proinde eius cognitio est analogica. *Ergo* ratio substantiae etiam in rebus a nobis distinctis immediate percipitur. (Cfr. Ideologiam p. 353 sq.)

¹⁾ Fischer, Grundfr. d. Erkenntnisstheorie, p. 206 sq.: „Uns erscheinen die Kategorien ursprünglich . . . als reale Seinsbestimmungen . . . unserer wesenhaften Selbst . . . durch wissenschaftliche Reflexion bringen wir sie vermittelt Abstraktion in die Form von Begriffen. Und insofern endlich die äussere Erfahrung uns geeignete Anhaltspunkte bietet, wenden wir das durch diese kategorialen Begriffe bezeichnete in analoger Weise auf die Wahrnehmungsobjekte an, indem wir *annehmen*, dass auch ihnen reale, substantiale und kausaltätige Einheiten ursprünglich zu Grunde liegen.“

Thesis XXV: Non una sola substantia, sed plures cognoscuntur.

St. qu. Thesis est tum contra Pantheistas, unam solam substantiam spiritualem infinitam admittentes, tum contra Materialistas, Darwinistas, Monistas, nonnisi substantiam unam materialem statuentes, ut supra notavimus.¹⁾

Prob. 1. Ex diversitate qualitatum: Cognitio nostra substantiarum fit primo occasione sensationum; ubi igitur rerum sensibiles qualitates tempore, loco, quantitate, figura etc. prorsus diversae sunt seseque ex eodem subiecto *excludunt*, diversae erunt substantiae. *Atqui* res sensibiles nobis apparent diversis illis qualitibus distinctae, e. g. lapides, arbores, bestiae, homines. *Ergo* et distinctae sunt substantiae.

2. *Ex diversitate operandi*: Effectus diversi et sibi oppositi diversam requirunt causam, et causa operandi ultima semper erit substantia aliqua. *Atqui* effectus diversi habentur tum substantiarum visibilium, tum substantiarum, quae sensibus non percipiuntur, sive sint res immateriales ut Deus, anima, sive materiales, e. g. aether; actus enim cognitionis vel voluntatis prorsus differt a motu locali; affinitas chimica, pondus et calor specificus, colores spectrales, status aggregationis diversorum corporum prorsus sunt diversa; cibi corpus nostrum nutriunt, venenum corumpit etc. *Ergo* existunt substantiae plures distinctae tum materiales, tum immateriales.

3. *Per exclusionem*: Substantia illa unica mundi aut esset materialis, ut materialistae et veteres (Atomistae) et recentiores (Feuerbach, Vogt, Moleschott, Büchner etc.), somniantur, aut spiritualis ut Idealistae obiectivi docent: Eleates, Neoplatonici, Fichte, Hegel, recentiores Voluntaristae (Paulsen, Wundt etc.), aut utrumque simul, ut censent Hylozoistae veteres Jonii, necnon posteriores Giordano Bruno, Haeckel, Spinoza. *Atqui non primum*; nam tunc phaenomena spiritualia in mundo praecipua (ideae, iudicia, scientia, virtus) non explicarentur; *non alterum*, quia tunc phaenomena materialia (extensio, figura, pondus, motus) esse non possent; *neque tertium*; nam tunc a) omnes res deberent esse animatae idque in specie humana, quae sola constat ex corpore et anima spirituali (conscientia), quod tamen et rationi et experientiae repugnat; b) Imo illa substantia unica, ut vere sit identica, non posset constare ex duplici elemento, sicut homo; deberet igitur simul esse finita et infinita, extensa et simplicissima, materialis et immaterialis, bona in iustis, mala in sceleratis, lapis in lapide, bestia in cane, angelus in coelis, immo Deus ipse. Deinde eadem substantia materialis deberet simul esse anorganica in lapide et quidem alia in aere, alia in ferro, auro etc., simulque organica et quidem in plantis, in bestiis, in homine eadem; se-

¹⁾ Cfr. Aristotelem, Metaph. VII, 2 sq.

ipsam devoraret, cum bestiae plantis, homines carnibus bestiarum vescantur. Denique eadem natura spiritualis deberet in Petro esse sapiens, prudens, verax, iusta, casta, sobria; in Paulo autem insipiens, mendax, intemperans; deberet in Petro se amare, in Paulo se odisse etc., et essent omnes actus immanentes in eodem principio simul. Unde deberemus conscientia percipere, quid quisque homo cogitaret, vellet etc. *Atqui* haec omnia sunt absurda et contradicunt tum principio contradictionis, tum experientiae, tum conscientiae. Ergo plures substantiae sunt admittendae et quidem tot, quot se manifestant res individuae.¹⁾

Obi. 1. Substantia quum cognitio nostra oriatur ex sensatione, deberet sensibus percipi; dist.: substantia immaterialis animae nostrae — nego; substantiae materiales, subd.: per accidens, i. e. immediate in et cum qualitatibus sensibilibus — conc.; per se — nego.

2. *Atqui* intellectus nullo modo percipit rationem substantiae in rebus sensibilibus; nam aut mediate aut immediate perciperet. *Atqui* neutrum dici potest; dist.: I. p. non percipit mediate in cognitione directa — conc.; in reflexa — nego; dist.: II. p. non percipit immediate per intuitionem — conc.; neque immediate in et cum obiecto sensibili i. e. abstractivae — nego.

3. *Atqui* in obiecto sensibili percipi substantia nequit; nam qualitatibus sensibilibus detractis nihil iam de obiecto percepto restat (Locke, Kant²⁾); dist.: nihil sensibus obvium restat — conc.; nihil intellectui obvium, subd.: per intuitionem — conc.; per immediatam intelligentiam abstractivam — nego.

4. *Atqui* repugnat conceptus substantiae; esset enim subiectum iners et simul principium activitatis (Schaller, Wundt), dist.: in sensu composito, i. e. in quantum operatur — nego; in sensu diviso, i. e. in quantum sustentat accidens — trans.

5. *Atqui* substantia esset aliquid permanens, immobile et tamen causa mutationis (Wundt, Paulsen³⁾); dist.: ut subiectum mutationis — trans. vel concedo; ut principium operationis — nego. Substantia enim ratione accidentium duplex habet munus: unum esse subiectum, alterum esse principium operandi; neque substantia creata, praesertim corporea, ex se est permanens semper et immobilis, sed potest quandoque mutationes substantiales subire; accidentaliter vero mutatur, quotiescunque novus actus accedit.

6. Conceptus substantiae nihil exprimit, neque quidquam explicat (Locke, Kant, Wundt, Paulsen, Rehmke⁴⁾); dist. I. part. nihil exprimit in concreto — trans.; in abstracto — nego (dicit: esse, in se esse, unum esse, subiectum esse mutationis et causam sive efficientem sive materialem accidentium esse); dist. II, part. non explicat facta et relationes (causalitatem) in concreto — conc.; neque

¹⁾ Cfr. Liebmann, *Analysis der Wirklichkeit* S. 375, apud Pesch *Welt-rätsel* II, 348. ²⁾ Simili modo moderni quidam arguunt: Phaenomenis internis detractis nil remanet; ergo nulla est anima substantialis. ³⁾ Paulsen, *Einführung in die Philos.* 1901, 145, 385 sq. Wundt, *System der Phil.* 1889, 264 et 293 sq.; porro *Grundriss der Psychol.* 1901, 384 sq. — Contra Volkelt, *Philos. Monatshefte*, 1891, p. 257 et 409 sq. ⁴⁾ Cfr. *Philos. Jhrb.* 1904, p. 297.

in genere — nego et nego suppositum, omnem conceptum debere novi quidquam nobis revelare praeter ipsum; tunc enim etiam conceptus causae, totius, virium etc. essent reiiciendi; neque substantiae materiales essent admittendae, unde rueret scientia naturalis. Eadem difficultas posset fieri contra substantias materiales et absolutam, quam tamen admittunt; formulae motus requirunt substantiam materialem $ft = mv$.¹⁾

7. Substantia si animae tribueretur, haec materialis efficeretur (Wundt, Paulsen, Rehmke etc.); nego. Nam substantia non dicit nisi in et per se esse, quod aequè omnibus substantiis competit.)

§ 2. De supposito in specie.

1. *Notio*: Vidimus substantias existere, easque divisimus in completas et incompletas. Patet, rationem perfectam substantiae inesse substantiae completae. Iam vero experientia docet, substantias completas et in se subsistentes posse fieri incompletas, vel privari subsistentia sua naturali, si cum alia substantia completa in unum per se coniunguntur, e. g. cibi in corpus humanum mutati; et vice versa substantiae incompletae vel aliam integrantes possunt fieri completae, si recipiunt existentiam per se, e. g. ramus ab arbore avulsus.²⁾ Immo substantia in se perfecta et completa potest, ut fides docet de humana natura in Christo et de divina natura in tribus Personis divinis, propria subsistentia carere et in alio subsistere. (Simili modo infans, nondum natus, completam quidem habet naturam humanam et existentiam realem in utero matris; attamen non habet propriam subsistentiam, sed quodammodo unam cum matre habet personam.) Substantia igitur completa, quae non in alio, sed in se ipsa subsistit, vocatur *suppositum seu hypostasis*, quae voces sensu communi saepe aliquid aliud significant.

Ad suppositi igitur rationem requiritur: a) ut sit *substantia*; ergo omne accidens excluditur ex ratione formali suppositi; b) *completa*; ergo omnis pars integralis seu etiam constitutiva (essentialis) excluditur; ac proinde anima humana a corpore separata est quidem substantia saltem incompleta, non autem suppositum, quia ad corpus informandum ex natura sua ordinatur; c) *singularis*; et sic excluditur natura communis (substantia secunda), quae conceptu exhibetur; d) aliquid totum (unum per se) *in se subsistens*; et sic habetur ratio propria formalis suppositi. Duo igitur elementa sunt prae omnibus essentialia: *natura completa* et *modus eius subsistendi in se*. Subsistentiam rei sequitur necessario eius *incommunicabilitas*, in quantum est suppositum.

¹⁾ Cfr. Dressel, *Physik*, 1900², I, 26. ²⁾ Cfr. S. Thom. III sent. dist. 5, qu. 3 a. 3.

2. *Divisio*: Suppositum distinguitur *rationale* et *non-rationale*. *Rationale* est suppositum naturae rationalis, ut homo, angelus, Deus; *irrationalis* est suppositum naturae non-rationalis, ut bruta, plantae, lapides etc. — Nobis praesertim de *supposito rationali* sermo est, quod vocatur *persona*. Unde persona ab aliis suppositis distinguitur per naturam rationalem; a sua ipsius natura autem per subsistentiam, quae vocatur *personalitas*. Hoc igitur sensu interpretanda est Boëthii definitio: *Persona est naturae rationalis individua substantia*. Ne sit falsa, terminus „individua“ sumendus est stricte, excludens omnem rationem partis et communicabilitatis; quod nisi fieret, anima humana sola esset persona; immo et natura humana in Christo et divina natura in se sola. (Neque recte Kuhn¹⁾ ad rationem formalem personae requirit oppositionem ad aliam personam; secus enim primus homo non fuisset persona.

Conceptus hypostasis vocatur *mixtus*, quia plene et perfecte tum ex ratione, tum ex revelatione formatus est. Eo modo, quo Aristoteles eum definiverat, erat imperfectus, unde, testibus Patribus, haereticis ansam dedit falsae doctrinae. Naturam enim et personam confundentes et identificantes, *Sabelliani* unam personam in Deo statuebant, *Tritheistae* autem tres naturas divinas; *Nestoriani* in Christo duas personas, *Eutychiani* autem unam naturam esse docebant.

Patet, personam hic intelligendam esse physicam, non *moralem*, ut parentes cum filiis personam *moralem* constituunt, neque characterem, i. e. indolem mentis, quam recentes personalitatem vocant, neque *iuridicam*, quae est subiectum iuris.

3. *Proprietates*: e) *Esse convenit supposito primo ac per se*, non quidem prioritate temporis et naturae, sed ratione perfectionis et finis, quia est totum, ad quod partes tum integrantes, tum essentiales ordinantur; b) *suppositum est maxime per se*, quia neque est in subiecto ut accidens, neque in toto ut pars; c) *suppositum habet naturam*, quia est dignissimum in re, ad quod omnia ordinantur; d) *est principium ultimum operandi*, quia est id, quod operatur, natura vero est principium, quo operatur; unde homo est, qui intellectu intelligit, idemque pedibus ambulat etc. „Actiones igitur sunt suppositorum“, ac proinde omnes actiones et passiones in Christo Personae divinae Verbi tribuuntur per communicationem idiomatum.)

Thesis XXVI: Persona non constituitur conscientia actuali.

(*St. qu.* 1^o Videmus, substantiam completam non necessario esse hypostasim, i. e. per se et in se subsistere, neque naturam rationalem cum ratione personae confundendam esse. Quaeritur igitur, quomodo natura completa rationalis formaliter constituatur persona. Ac primum quidem reiicienda est sententia eorum, qui putant formalem rationem personae inveniri in conscientia actuali, sicut Car-

¹⁾ Cfr. Einig, De Deo², p. 208.

tesius, Locke, Kant, Günther, Jacobi, Zuckriegel, Dieringer, Lotze aliique multi recentiores statuissent videntur.¹⁾ Neque cum Rosminio persona definienda est subiectum libertate praeditum, quia tunc in Christo duae essent personae; utraque sententia ab ecclesia²⁾ est reprobata.

2^o Sane persona, i. e. hypostasis rationalis sibi conscia *perfectius* est suppositum, quam hypostasis non rationalis: a) *materialiter*, quia habet naturam perfectiorem sc. rationalem; b) *formaliter*, idque 1^o ratione *intellectus*, quia non solum realiter sui ipsius est, sed etiam *intentionaliter*, quum personae se ipsas cognitione reflexa tanquam obiectum apprehendant, et modo etiam intentionali possideant, et ab omnibus aliis suppositis distinguant per conscientiam sui ipsius: „Ego“; 2^o ratione *voluntatis*, quia personae libertate praeditae etiam dominium in actus suos habent, ita ut sint sui iuris, neque solum operentur, sed et *sibi* operentur tanquam dominis et finibus intrinsecis saltem proximis; *finaliter*, quia personae non solum extrinsecus et pro tempore ad Deum tanquam ultimum finem diriguntur, sicut cetera supposita non rationalia, sed etiam intrinsecus ad Deum possidendum per vitam aeternam destinantur; res vero sensibiles proxime ad homines ordinantur; *comparative*, quia cetera supposita non rationalia homini subduntur ut media ad finem obtinendum, ita ut homo dominium habeat in ceteras res mundanas; unde potest esse subiectum *proprietatis* et *iuris*.³⁾ — Quare conscientia sensu aliquo *psychologico* et *analogico* personalitas vocari potest, non tamen physice et formaliter.)

Prob. 1. Ex conceptu personae: Persona est suppositum rationale, ac proinde non differt ab aliis suppositis, nisi quia est in natura rationali. *Atqui* neque ratio formalis suppositi constituitur actu conscientiae; secus enim res omnes inanimatae non essent supposita; neque natura rationalis formaliter constituitur actu conscientiae, sed sua realitate substantiali. *Ergo* persona non constituitur conscientia actuali.

(2. *Ex natura conscientiae*: Conscientia actualis aut est directa, aut reflexa. Iam vero reflexa supponit directam; unde si ratio personae per conscientiam constitueretur, haec esset conscientia directa. *Atqui* conscientia directa: a) realiter idem est quod actus, quem refert eiusque supponit realitatem, ac proinde persona constitueretur quovis actu intellectus vel voluntatis, immo et sensationis, quod est

¹⁾ Etiam Müller in hac re minus recte sentire videtur: „Ohne Kontinuität des Bewusstseins kann die Persönlichkeit nicht mehr als die gleiche betrachtet werden . . . die Bewusstseinsbildung scheint ein unmittelbares Eingreifen des Weltgeistes zu erfordern“ (System der Philos., p. 280). ²⁾ Cfr. Lorenzelli, l. c. p. 283 sq. ³⁾ Cfr. Phil. Jhrb. 1905, p. 424 sq.: Dyroff, Das Selbstbewusstsein.

absurdum; b) deinde actus supponit principium operans sc. intellectum et voluntatem, quae iterum supponunt naturam humanam iam constitutam; ergo potius dicendum esset, personam constitui per intellectum, vel voluntatem, vel per naturam rationalem solam: c) denique non semper adsunt actus, et consequenter conscientia nonnunquam deficit, non autem natura rationalis et persona, quae semper eadem manent. Ergo persona non consistit in conscientia actuali.

3. *Ex absurdis*: Si ratio formalis personae esset conscientia actualis: a) infantes, qui nondum habent actualem conscientiam, dormientes, amentes non essent personae; b) mutata conscientia actuali — et haec per omnem actum mutatur — persona quoque mutaretur: esset persona sensitiva, si solum adest actus sensitivus: intellectualis, si adest actus intellectus etc.; c) etiam bestiae essent personae, siquidem habent conscientiam actualem sensitivam; d) cum persona sit subiectum iuris, infantes, dormientes, amentes iure humano, e. g. proprietatis, vitae, honoris destituerentur; impune laedi possent; e) In Christo essent duae personae, si quidem duplex in eo est conscientia: divinitatis et humanitatis; in Deo autem una esset persona, cum una in eo sit conscientia. Atqui haec omnia vel absurda sunt, vel factis experientiae tum internae, tum externae, vel fidei repugnant. Ergo ratio personae proprie, physice et formaliter non constituitur per conscientiam.

Coroll. Similibus argumentis ostenditur, rationem personae physicae cum Rosminio in voluntate sive ut potentia sive ut actu considerata non esse collocandam; nam voluntas evidenter iam supponit intellectum et personam physice iam constitutam ut ultimum principium operandi; neque semper adsunt actus voluntatis, praesertim liberi. Deinde tunc in Christo dua essent personae, siquidem duplex in eo est voluntas; in Deo autem una persona, quia una in eo est voluntas.

Obi. 1. Conscientia constituit dignitatem humanam; ergo etiam personam: dist.: manifestat dignitatem humanam — conc.; constituit formaliter personam — nego.

2. Atqui formaliter constituit, quia per conscientiam homo maxime et intrinsecus ab omnibus aliis distinguitur; dist.: tanquam per principium reale et essenziale — nego; tanquam per actum (intentionaliter) — conc.

3. Atqui conscientia distinguit hominem ab aliis tanquam per principium reale et essenziale; nam constituit hominem sui iuris; dist.: antecedenter et formaliter — nego; consequenter et intentionaliter — conc.)

Thesis XXVII: Inter personam et naturam est saltem distinctio virtualis perfecta; num etiam realis sit, non liquet.

(*St. qu.* 1^o Quaeritur, in quo sit formalis ratio subsistentiae, utrum quidquam realitatis addat ad naturam completam, ita ut inde resultet compositio physica; an nil reale adiciat, ita ut solum adsit compositio metaphysica; vel, quod idem est, utrum adsit realis, an

virtualis distinctio inter naturam completam singularem realem eiusque subsistentiam.

2^o *Thomistae*, qui in hac quaestione se doctorem Angelicum¹⁾ sequi arbitrantur, statuunt realem distinctionem, eisque plerique consentiunt, ut Caietanus, Hurtado, Suarez, Lugo, Vasquez, Liberatore, Stöckl, Egger, Mercier, Villafranca docentes, naturam singularem fieri personam modo substantiali superaddito, qui modus quid sit non consentiunt. Schiffini realem quidem docet distinctionem inter naturam et personam, sed eandem, quam inter essentiam et existentiam statuit, hanc S. Thomae sententiam esse ratus.²⁾ *Scotistae* vero realem distinctionem negabant, docentes personam constitui per ipsam naturam singularem, addita duplici negatione communicationis et communicabilitatis. Similiter Tiphanius S. J. († 1634) distinctionem solum virtualem perfectam adesse docuit, cui sententiae multi nunc adhaerent, ut Franzelin, Pesch, Einig etc. statuentes, naturam eo ipso esse per se subsistentem, quod ab alia non sit assumpta vel cum alia in unum per se minime coniuncta. Utraque pars provocat ad S. Thomam, quae meliore iure, difficile est decernere.³⁾ Unde statuimus:

I. *Est distinctio virtualis perfecta inter naturam et personam.*

Prob. Ex conceptu distinctionis virtualis perfectae: Distinctio virtualis perfecta adest, quando eadem realitas conceptibus formaliter diversis exprimitur, ita tamen ut sit fundamentum perfectum in re, i. e. ut unus conceptus alterum ne implicite quidem includat et res conceptibus expressae possint una sine altera esse in rerum natura, (e. g. humanitas — animalitas et rationalitas.) Atqui conceptus naturae completae per se nondum includit *subsistentiam actualem*, sed ad summum exigentiam vel in se vel in alio subsistendi; deinde de facto potest existere et existit natura completa sine propria subsistentia, sc. natura humana in Christo subsistens in persona divina Verbi (Unio hypostatica), quamvis subsistentia neque in sententia eorum, qui realem statuunt distinctionem, sine natura esse possit (nisi forte Hurtado excipias), ita ut esset distinctio minor realis. Similiter partes integrantes corporis naturalis, e. g. ferri, lapidis, non

¹⁾ S. Th. III, qu. 2 a. 2 et 3; III, Sent. distinct. 6, qu. 2 sq. ²⁾ Princip. Philos. p. 565 sq. et 625 sq. Similiter de Maria, l. c. I, 549 sq.; porro Remer, Summa praelect. philos. scholast. I, p. 296 sq.; Mercier, Ontologie³, 299 sq.; Mancini, Elem. phil., I, 335 etc.; Lorenzelli, l. c. I, p. 289, personalitatem distinguens realiter a natura et supposito et existentia, definit eam cum Caietano realitatem substantialem sui generis pure terminantem intrinsecus substantiam naturae in ratione suppositi; similiter etiam Villafranca, comp. phil. II, 125. ³⁾ Boedder, Psychol. 1894, n. 523.

habent propriam subsistentiam nisi in toto, recipiunt autem subsistentiam, si a toto separantur, amittunt iterum, si virtute caloris vel chimica actione iterum coniunctae *unum per se naturalé constituunt*. Ergo est distinctio virtualis perfecta inter naturam eiusque subsistentiam.

II. Non liquet, realem distinctionem esse admittendam.

Prob. 1. Non satis intelligi videtur, quid sit illa realitas, sive modus substantialis, sive existentia naturae reali completae superaddita. Neque enim potest esse accidens, quia substantia ultime in ratione *substantiae* nequit constitui per accidens, quod substantiam iam supponit completam; neque potest esse substantia: non completa, quia non fieret *ens per se unum* ex duobus entibus in actu; non incompleta, quia esset pars essentiae, quae tamen supponitur completa. Nihil autem est intermedium inter substantiam et accidens.

(Neque videntur satisfacere dicentes, subsistentiam posse dici accidens ratione essentiae, non vero tanquam ultimum complimentum substantiae¹⁾, unde aliquid intermedii esset inter substantiam et accidens; nam haec distinctio videtur supponere sententiam illam iam *probatam*; et in *concreto* substantia rei idem est quod eius essentia; in thesi autem agitur de natura concreta, physica. — Neque melius videtur opponi, subsistentiam sive existentiam in nulla esse categoria, sed omnes transcendere; posse autem reduci ad categoriam substantiae.²⁾ Nam 1^o hoc novum ens transcendens videtur arbitrarié statui; 2^o si vero ad categoriam substantiae reduci potest, debet habere rationem substantiae, sicut pars corporis e. g. manus. 3^o Natura humana in Christo, quum habeat existentiam quamvis creatam, attamen sibi *intrinsicam*, iam deberet esse persona, si personalitas consisteret in eius existentia.

2. Entia non sunt multiplicanda sine necessitate. *Atqui* necessitas illius distinctionis realis nondum videtur probata. *Ergo* . . .

Prob. minor: Dicunt: 1^o Natura singularis subsistentiam et incommunicabilitatem nondum includit; ergo debent accedere; dist.: debent accedere in conceptu — conc.; in re, subd.: aut positive aut negative — conc.; solum positive — nego.

2^o Atqui debent in re et positive accedere, quia subsistentia naturae aliquid positivi addit sc. complementum et terminum substantiae completae (sic Stöckl); dist.: addit aliquid positivi substantiae naturaliter existenti — nego; supernaturaliter; subd.: ratione personae assumptis — conc.; ratione naturae assumptae — nego.

3^o Atqui tunc natura humana in Christo esset persona; dist.: si esset sibi relicta — conc.; quum sit assumpta a persona Verbi, subd.: non est persona propter defectum positivum — nego; propter elevationem ad modum existendi infinite perfectiorem — conc.

„Naturae assumptae non deest propria personalitas propter defectum alicuius, quod ad perfectionem humanae naturae pertineat, sed propter ad-

¹⁾ Cfr. Liberatore, Inst. phil.⁶, I. p. 318. ²⁾ De Maria, l. c. p. 454.

ditionem alicuius . . . quod est unio ad divinam personam.“ (S. Thom. S. Th. III, qu. 4, art. 2 ad 2 et 3; cfr. etiam ibid. qu. 2, art. 2 et 3.)

Retorqueo: Si subsistentia esset aliqua realitas, quae proinde in Christo humanae naturae deficeret, numquid igitur Christus non perfectus est homo?

4^o Atqui si natura humana completa est ex se ad subsistendum, non posset fieri in Christo *unum per se* ex duobus in actu¹⁾; dist.: unum per se in ratione naturae, sicut Eutychiani docebant — conc., ratione hypostasis; subd.: si natura humana eiusque unio hypostatica cum Verbo divino fieret per duplicem actionem: unam constituentem naturam humanam completam per se existentem, alteram hanc naturam completam in se existentem Verbo divino unientem, sicut Nestoriani statuebant — conc.; quum illa unio fiat eadem actione divina quoad terminum (creatio humanae naturae Christi et unio cum Verbo divino), *ratione* tamen distincta — nego.²⁾

5^o Atqui nisi subsistentia quidquam adderet ad naturam, in Deo non esset nisi una persona; dist.: nisi quid absoluti adderet — nego; nisi quid relativi; subd.: quod *realiter* distinguitur a divina natura — nego; quod virtualiter solum differt a natura divina, sed personas divinas *realiter inter se* distinguit — conc.

Resp. a) Retorqueo: Subsistentia in sententia opposita consistit formaliter in realitate naturae superaddita. Atqui nihil realitatis potest naturae divinae superaddi. Ergo vel nulla esset persona in divina natura vel ad summum una.

b) Unde paritas est neganda. Persona enim humana, si per realitatem naturae completae superadditam constituenda esset, deberet esse aliquid absolutum, quo in se constituitur et ab omnibus aliis distinguitur. In Deo autem Personae divinae constituuntur relationibus, quibus Personae divinae realiter inter se differunt, quae tamen relationes a divina Essentia non realiter sunt distinctae.³⁾ — Ceterum tota haec quaestio, quemadmodum illa de distinctione inter essentiam et existentiam, non mihi videtur esse magni momenti.)

Caput II: De accidentibus.

§ 1. De accidente in genere.

(1. *Notio:* Experientia docet, in mutationibus aliquid permanere tanquam subiectum, in quo fiat mutatio, aliud vero recedere vel accedere, quo subiectum illud ad novum statum sive modum se habendi determinetur, quin essentia eius ipsa mutetur. Hoc modo formamus conceptum substantiae et accidentis; substantia, ut diximus, vocatur subiectum, in quo fit mutatio; accidens vero appellamus ipsam subiecti mutationem, e. g. calorem, quo corpus frigidum fit calidum. Conceptus accidentis, quum sit primitivus, sicut con-

¹⁾ Cfr. Lugo apud Schiffini, l. c. p. 570. ²⁾ Cfr. Schiffini l. c. p. 631 n. 590. ³⁾ Cfr. Einig, De Deo², p. 182 sq. — Plura de hac quaestione vide Liberatore l. c. et Schiffini, l. c.